



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis**

**Ferdinand <Köln, Erzbischof>**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Benedictio coniugum impeditorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39761**

**Benedictio impeditorum Coniugum. 263**

præsenti famula tua longè repelle, & Angeli tui sancti habitent cum ea qui eam & foetum eius ab omni aduersitate & mortis periculo tua bene ✠ dictione custodiant. Per Dominum nostrum, &c.

**Benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos & maneat semper, Amen.**

**BENEDICTIO IMPEDI-  
TORVM CONIUGVM.**

**F**It interdum (Deo hominum vindicante siue infidelitatem, siue libidinem) vt vir & mulier maleficio impediti, à Matrimonij vsu impediuntur, ad quam depellendam noxam, coniuges primùm omnium diligenti conscientia examine, & confessione Sacramentali præmissa, adibunt Sacerdotem, qui lecta Missa de Spiritu sancto, aut de ipsa Virgine Maria, sequentes subiiciet orationes:

*Verf.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.

*Resp.* Qui fecit cælum & terram.

*Verf.* Saluum fac seruum tuum, & ancillam tuam.

*Resp.* Deus meus sperantes in te.

*Verf.* Mitte eis Domine auxilium de sancto.

*Resp.* Et de Sion tuere eos.

*Verf.* Nihil proficiat inimicus in eis.

*Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

*Verf.* Esto eis Domine turris fortitudinis.

*Resp.* A facie inimici.

*Verf.* Dominus vobiscum.

*Resp.* Et cum Spiritu tuo.

**K k**

**Oremus.**

**Oremus.**

**D**omine Iesu Christe, Fili Dei viui, qui in paradiso terrestri, matrimonium instituiti in officium; & postmodum (pro nobis homo factus, & ex virgine natus) etiam in Sacramentū instituiti, & tua præsētia ac miraculorū tuorū primitijs dignāter illustrasti; quęsumus, vt per merita preces B. Virg. Marię matris tuę, beatorū Confessorū tuorum Vincētij & Iudoci, & omniū sanctorum, & sanctarum tuarum, hos coniuges Matrimonij Sacramento copulatos, bene ✠ dicere, & ab omni ligamento, fascino & maleficio Satanę (fœcunditatem & salutarem sobolis propagationem eis impartiendo) tua pietate liberare digneris. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas.

*Deinde tres Psalmi sequentes dicuntur:***Psalmus 1.****Beatus vir qui non abiit, &c.****Psalmus 90.****Qui habitat in adiutorio altissimi, &c.****Psalmus 127.****Beati omnes qui timent Dominum, &c.***Deinde preces sequentes.*

**Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater nost.**  
**Verf.**

**Benedict. impeditor. Coniugum.** 265

*Verf.* Et ne nos inducas in tentationem.

*Resp.* Sed libera nos à malo.

*Verf.* Saluum fac seruum tuum & ancillam tuam.

*Resp.* Deus meus sperantes in te.

*Verf.* Mittere eis Domine auxilium de sancto.

*Resp.* Et de Sion tuere eos.

*Verf.* Nihil proficiat inimicus in eis.

*Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

*Verf.* Esto eis Domine turris fortitudinis.

*Resp.* A facie inimici.

*Verf.* Domine exaudi orationem meam.

*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.

*Verf.* Dominus vobiscum.

*Resp.* Et cum Spiritu tuo.

**Oremus.**

**O**Mnipotens sempiternæ Deus, qui beatæ semper Virginis Marię vterum mirabiliter foecundasti, vt de Spiritu sancto, verū Deū & hominem, Saluatorē nostrum Iesum Christum conciperet: imploramus clementiam tuam, vt his famulistuis, Matrimonij nexu coniunctis, sublato omni dæmonis impedimento & maleficio, salutarem Matrimonij fructum largiri digneris. Per eundem Dominum Iesum Christū Filiū tuum, qui tecum.

*Deinde benedicens vtrique subijciat:*

**C**reator cæli & terræ, qui primis parētibus,

Kk 2

Matri-

266 **Benedictio impeditor. Coniugum.**

Matrimonij foedere societatis, dixit: Crescite & multiplicamini & replete terram; ille sua vos benedictione aduersus omnes diabolicas infestationes foecundet atque multiplicet; & Christianæ sobolis salutarem propagationem misericorditer vobis concedat, in nomine Patris ✠, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

*Postea aspergat illos aqua benedicta, & dimittat.*

**C**Auendus verò crassus ille error, & rei sacræ manifestus abusus, quo, tali maleficio vexatis succurri posse aliqui putant; si vir & mulier, priori Matrimonio, legitimè & in facie Ecclesiæ contracto, mutuo consensu renuntient, & nouum coram Sacerdote contrahant. Cum enim nulla sit ratio, cur secundum Matrimonium contra eiusmodi maleficia remedium efficacius esse possit, quàm primum; verisimile est hoc procurari à demone, omnium maleficiorum auctore, vt res sacras, hominibus ludibrio exponat. Deinde Sacramento Matrimonij grauis irrogatur iniuria: quod, semel ritè contractum, neque Ecclesiæ auctoritate, neque mutuo partium consensu, solui potest; dicente Domino: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

**B E N E D I C T I O****P E R E G R I N A N T I V M.**

**Q**Vando homines pij ac deuoti ad loca sancta religiosas peregrinationes, ex deuotione, aut alia quacunque causa pia & rationabili ingredi cogitant, ante profectio- nem benedictionem Sacerdotalem quandoque petunt. Hæc ipsis impendetur vtiliter, si, peccatis per confessionem Sacramentalem expiatis, sacrum reuerenter audiant, & in eo sacra communione, ceu vitæ æternæ viatico, percepta ad modum sequentem benedicantur.

**P**rimo